



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Liber Theologiæ Moralis, Viginti Qvatvor Societatis Iesv Doctoribvs Reseratvs

Escobar y Mendoza, Antonio de

Lvgdvni, 1659

III. De filio, vxore, & aliis furantibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41066

furta minuta accrescerent : at ad huiusmodi quantitatem perueniens , tenetur aduertens totum restituere , aut illud sanè , quo ex quantitate illa excluso leuem relinquit quantitatem.

5. *Furatur quis minimum animo furandi malus , sed non furatus est : delinquit lethaliter ; Ita planè ; quia eiusdem malitiæ est, velle surripere, quàm actu exequi.*

6. *Quid quando à pluribus aliquid aufero ? Maior quantitas requiritur ad graue furtum , quàm cum ab eodem. Imò quando paulatim ab eodem subtrahitur, quàm cum simul ; & quando tempore longo, quàm cum eodem , vel breui ; quia minus quidem infert nocumentum sic auferens : cum ratio maioris aut minoris damni sit spectanda, ad grauem, aut leuem iniuriam.*

7. *Multi simul furantur grauem quantitatem , at singuli modicum quid surripere : delinquunt ne grauius ? Si communi consilio furati sunt , grauius peccant ; quia per modum vnus aggressi sunt : at si quisque de aliis nesciat, non peccant mortaliter , nec tenentur ad restitutionem sub mortali, sed sub veniali.*

8. *Non quidem illi communi consilio surripere , sed tamen scit vnusquisque de alijs damnnum inferentibus : delinquunt ne grauius modica surripiendo ? Mortaliter peccant , & tenentur suam partem tantùm restituere ; quia non cooperati sunt illorum acceptioni. At qui fuerunt cooperati surripientes communi consensu, in integrum debent restituere, si alij non restituant portionem suam.*

C A P V T III.

De filio, & uxore, & alijs furantibus.

9. *Surripere ne possim rem meam, qua iniusto titulo apud alium est ? Delinquis quidem si aliter recuperare possis ; sed tamen ad restitutionem non teneris ; quia tua est.*

10. *Licet ne in graui necessitate aliquid surripere ? Minimè ; quia in huiusmodi necessitate res est aliena , cum sola extrema rem faciat communem.*

11. *Principis sum creditor , qui ab eo solutionem non possum obtinere : possum ne vectigalia in compensationem defraudare ? Potes : valétque huiusmodi doctrina etiam in censibus, decimis, & alijs iuribus alteri clocatis.*

12. *Filius gravem summam accepit ex bonis, quorum pater habet dominium, vel usumfructum: deliquit ne graviter? Maximè, si pater non solùm quoad modum, vt dixi, sed etiam quoad substantiam videtur inuitus. De restitutione alibi.*

13. *Quid si uxor gravem quantitatem accipiat ex bonis mariti, vel ex bonis quorum maritus habet administrationem, & usumfructum? Peccat mortaliter, cum onere restitutionis, si id præstet sine expresso, aut præsumpto mariti consensu, aut conditione. Potest tamen inuito viro capere, aut donare, bona paraphernalia, illaque pro libito dispendere; quia sunt illius propria quoad dominium. Potest etiam ludere, & pecuniam accipere ad ludum, dandùmque pauperibus intra limitem, & decentiam status; neque peccat accipiendo aliquid, quod maritus rogatus facilè concederet. Potest item, etiam inuito viro, pro necessariis sibi, & familiæ accipere, scilicet pro veste, cibo, medicamentis, & vt subueniat patri, matri, vel filiis ex priori matrimonio susceptis, si sint in egestate, & aliunde non habeat unde illis queat subuenire.*

14. *Servus ne peccat mortaliter, quando in quantitate notabili à suo domino aufert? Peccat, nisi fortè dominus sit irrationabiliter inuitus: verbi gratia, si necessaria non suppeditet: tunc enim servus habet ius sibi succurrendi, ita iure naturæ distante.*

15. *Rem gravis quantitatis inveni: num possum licitè retinere? Si post factam inquisitionem, verus dominus non reperitur, licet perfectum esset pio operi consecrare, tamen potes tua fortuna frui, etiam si diuitiis affluas, nisi aliqua speciali prohibitione impeditus esses.*

16. *Est ne peccatum concupiscere rem proximi? Si concupiscis proximi diuitias, vt auferas, graviter, aut leuiter delinquis iuxta materiae quantitatem; at si solummodo desideras similes diuitias possidere ad bonum finem, nec leui delicto macularis. Decimum iam mandatum aperui.*